Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Oda de Trajectinae civitatis laudibus.

https://hdl.handle.net/1874/339216

Ode Tricolos Tetrastrophos,
ex duobus Asclepiadeis, tertio
Pherecratio, et quarto Gliconico
De Traiectinae Civitatis laudibus.

Traiectum celebret Pieridum chorus,
Traiectum celebret et puer et senex
Laudandae urbis alumnus,
Qui cantu aut fidibus valent.
Laudarunt veteres irriguam Rhodon,
Arces Rhomulidum ac Lacedaemona,
claram lege Licurgi
Armis atque laboribus.
Nos nostram patriam laudibus inclytis
Traiectum efferimus praeferimusque
Sexcentis aliis, re
claris et populo, urbibus.
O gentis Batavae regia splendida
Quis non suspiciat te atque situm tuum,
Intus si spacietur
Aut foris per agros tuos etc.
Rheni tot tibi dat commoda rivulus,
Portus quot geminos tum bimaris dedit
Insignisque Corintho
Cum floreret adhuc bonis.
Ditaris ratibus nunc onerariis,
Cymbis nunc lembis, quae bona plurima
Et sursum atque deorsum
Ad fermus tibi convehunt.
Quem non exhilarent, moenibus ex tuis
Cursu si videat forte reciproco
Lintres atque celoces
Undas verrere liquidas etc.
Rhenus praecipiti gurgite devehit
Et Barchum et Coronem, at Oceanus libens
Merces subvehit omnes,
Quas mittunt tibi Sarmatae.
Cinguntur viridi moenia tramite,
Per pomaria apes instrepitant vagae,
Circum moenia blandis
Hiblaeis quoque floribus.
Eois radiis sol ubi ~~emicat~~ promicat
Montes aërios et silvosos vides,
Gleba agrosque feraci
Orbe ab occiduo vides.

Circumflecte oculos quisquis es ad notum,
Pascuntur pecudes prata per herbida, et
    Praeter pascua laeta
    Secundum flumina nil vides.
Hinc specte ad boream lumina perspicax,
Et campos et agros prospicis undique,
    Nec passum pedis unquam
    Deprehendis inutilem
Quid sylvas memoro, laetantes pascua?
Quid montes, pecudes? quid cita flumina?
    Cum multo his potiora
    Per pomoeria se offerant?
Nam qua solis equi naribus exprimunt
Primores radios, coenobium geminum
    Extruxit Benedictus,
    Viris, virginibus quoque.
Illud multigena cingitur arbore,
Hoc et conspicuum quercubus arduis,
    Utrumque et pietate
    Vita ornatur et aspera
Hinc Bernarde sacras virginibus tuis
Aedes constituit gleba et in uberi,
    Quas velamina formant
    Et Monastica regula
Sunt versus Boream insuper alterae
Aedes virgineae, quas pater optimos
    Mores edocuisti, in
    Valle vestis ad alveum.
Ad vos devenio castra Dei sacra,
Ardas militiat excubias militię sacrę,
    Quis Carthusia gentem
    Hanc munit vigilantibus.
Se vestris lacrymis et prece sedula
Confidit populus protegi ab inferis
    Diris, haud secus atque
    Armis fulminis Iovis.
Qui te praeteream virgineum gregem,
Qui Bethlemitica habes inter suburbia,
    Et cunabula Christi
    Casto amplecteris osculo.
His Martine tuam floribus aureis
Ornamus chlamydem, dum tua moenia
    Tanta Coenobiorum
    Pulchritudine cingimus
Tandem Pierides laeta suburbia
Linquentes, valida pacis ab arce cum
    Laude intramus ovantes
    Turrita altaque moenia.

Arcem dico novam, turrigeram, quadram,
Quae a quinto validis condita Carolo
Muris, munia munit,
Et nostrae urbis asylum est.
Salve lux patriae, gloria civium,
Urbi insigne decus, terror et hostibus,
Quae concordiam in omni
Et clero et populo efficis.
Abs te (dico vale) non satur ad sacras
Aedes transiero ex ordine singulas,
Quo vicos plateasque
Contemplari obiter queam. At
Quis dignis obiter laudibus has domos
Ad ripam positas fluminis evehat,
Quis accessus ad amnem
Cryptis atque cuniculis?
Quarum ~~culmea~~ culmina sunt saxea et ardua,
Et marmor parios, sculptilis aut later,
At fundamenta pluris
Constant cum pomariis.
Hic mercator ades mercibus impiger
Eois, geticis, hesperiis, vides
Aedes aere refertas,
Et qui te excipiant canos.
Traiectine tuam vendo nucem, pirum,
Malum, cum omnigenis fructibus arborum,
Frumentumque tuum, quo
Non praestantius usquam.
Nec serto agro animo, si tua venditet
Hollandis, Frisiisque, id genus accolis
Quo maiora reportent,
Impartire libens tua
Iam templum aggredimur mirificissimum,
Salve sacra domus, quam Deus optimus
Vult omnes venerari
Privata ac prece publica.
Hoc templum celebrant aurea scrinia,
Quae divum cineres ossaque martyrum
Thesaurum sacrosanctum
Conservant venerabilem.
Hoc templum celebrat maxima dignitas
Insignis cathedrae, Praesul et inclytus
Egmontanus et heros
Divus monte Georgius.
Hoc templum celebrant qui canonas sacros
Iurarunt dii, tum precibus piis,
Tum cantu moderato,
Tum psallentibus organis.

Ornant prętęrea cymbala maxima
In turri aëria, vetrina culmina, et
Sculpturę preciosę:
Hoc Martine tuum decus.
Saluatoris adit musa libens mea
Ędem non similem, sed venerabilem,
Quę olim te Vvilibrorde
Vrbs excepit Aplm.
Tam sanctus locus sit sanguine martyrum
Vt nullum capiat terra cadauerum,
(Si sit fabula vera)
Nunc intra gremium suum.
Monstrat Relliquias atque Sebasmata,
Vestes purpureas, picta tapetia, et
Aurum non semel atque
Ędes summa stupentibus.
Iam ter sancte tuis proximus ędibus
Non possum Petre, quin septa, loci situm,
Et collegium honestum
Paucis versibus efferam.
Ambit riuus aquę cum viridariis
Hortos irriguos (viridos ad modum)
Herbis suaue fragrantibus
Diuersa arbore consitos.
Quod templum viridi gramine cingitur,
Picturis variis quod quoque comitur,
Quis non iudicet esse
Ad nostri decus oppidi?
Babtistę modicum pretereo, petam
Iam templum Marię Cęsareum decus,
Quod miro tabulatu,
Priscam tectoniam probat
Hoc primum decorat cętus honestior,
Terna et cornua dein monocerontia, et
Prestans bibliotheca
Multis et lepidis libris.
Babtiste repeto te et famulos tuos,
Quorum in ędibus sic lucus et area,
Instaurataque templa
Prima est Vrbis amęnitas.
Hortis si aspiciam septa habitacula,
Quę rerum pretio Cęsare digna ~~sunt~~ sint,
Dicam cedere nullis,
At certare quibuslibet
His iam quinque Dei sextum habitaculum
Fratrum consocio, quos Canonas sacros
Te Augustine magistro
Mitis Regula perdocet.

Hinc templa exhibeant, atq; ſibi ſacros
Myſtas ac pueros quoq; paraciæ,
Quæ quod quatuor extent,
Haud parum decus adferunt.
Hæc quorſum recito laudibus efferens,
Templis digna ſuis tum loca tum viros?
Ad laudem vrbis amœnæ, et
Gentis eximium decus.
Si ſpectes reliquum tum μοναχῶν gregem,
Tum normas variæ relligionis et
Veſtis verſicoloris,
Obſtupeſcere cogeris.
Stipatus monachis prodeat optimus
Abbas, cui bifido tempora tegmine
Paulus cum Benedicto
Cingenda, unguine conſecrant.
Hinc procede prior qui regis armiger
Turmam Teutonicam, quæ chlamyde et cruce
Inſignita videtur
Christi militiam ſequi.
Huic ſuccede (licet militia prior)
Inſignisq; tuas et chlamyde et cruce
Turmas domine Baliue, et
Babtiſtæ inſtruis milites.
Qui verbum dni predicat, et minor
Franciſcus pariter diſſimili grege
Procedant, ſacram et ornent
Hanc pompam et venerabilem.
Procedat quoq; de vertice candido
Carmeli nitidus grex ſocians ſibi
Auguſtine idiotas
Cellitas populum tuum.
Ne te preteream Dive Hieronyme,
Qui noſtræ domui praeſes es, et ſcholæ,
Magnis adde puſillum
Abiectumq; gregem tuum.
Tu noſtros refove et moribus inſtrue
Fratres unanimes, diſcipulos quoq;
Qui noſtræ ferulæ nunc
Subdidere manus ſuas.
Ne mores tumidi, vox ne ſit aſpera,
Ne ſermo illepidus, neue rapax manus,
Sed ſit quiſq; modeſtus
Caſtus, ſobrius, et pius.
Tempus deficeret ſi modo perſequar
Hortos, ſepta, domos, templa, vel atria,
Traiectum quibus illi
Exornant pariter ſimul.

Iam post multa virum et pia nomina
Paucis adiiciam virgineos choros,
    Quorum non minus urbem
    Sanctimonia predicat.
Producit primus tum parthenion gregem
Servatis rigida quem sibi regula
    Bernardus sacrosancto
    Sub velamine dedicat.
Hunc sororum minime prosequitur chorus,
Quas albas dominas vulgus inde vocat,
    Quas Birgitta sorores
    Et fratres sociat suos.
Succedantque chori tum Solisinitidum
Tum cultu simili religioneque
    Quas aedes Abrahami
    Augustinus sibi fovent:
Hinc post Caeciliam postque chorum illius,
Addat nicoleos schemate simplicem
    Franciscoque dicatum
    Concentum pariliter sonum.
Et ne praeteream Begga tuum genus
Iungam Magdalenis te praeeuntibus
    Quo nostrae decoretur
    Pompae haec ultima linea.
Nunc si vos pariter lumine candido
Contemplere acies, tum valeas mihi
    Tanta religione
    Urbem ostendere praeditam?
Quin omisso pridem multa habitacula
Aegrorum atque senum, xenodochiaque,
    Quorum cura probat quod
    Urbs cultrix pietatis est.
Iam tandem venian ad sacra munia a post
Ad plebis proceres, praecipuos viros,
    Ad sanctumque senatum
    Quis respublica praedita est.
Primum iure colam qui sapientia
Leges Caesareas iustitia quoque
    Exercent, patriamque
    A vi fraudeque vindicant
Hinc urbis proceres, stemmata, consules,
Conscriptosque patres et colo et suscipior,
    Qui absque crimine tractant
    Et priva et bona publica
Rursus mi videor Roma videre te
Aedilesque tuos, scitaque consulum,
    Praetoresque Tribunosque
    In nostra urbe novarier.

Nullus livor in his, nullus et ambitus,
Sed iustus, sapiens, ac sibi temperans,
Robustusque senatus
Digne presidet omnibus.
Sive adversa quidem aut prospera fors mihi aut
Traiectina tibi plebs sit, in ordine
Conservabit utrosque
Magistratus hic optimo.
Cui Respublica sit nunc lacera aut mala,
In qua Praetor hic ensem atque Senatus hic
Stringunt in sceleratos,
Et probis bona consulunt &c.
Cui vulgus quoque sit moribus improbis,
Dum sanos videant vivere presides
Ac non tam sua semper
Quam optantes bona civium &c.
Sint ergo pariter moribus approbi,
Ut cultu nitidi civis et incola,
Sic prestent quoque vita, et
Cunctis corpore praeminent
Ut sint praevalidi robore virium,
Et membris alacres rebus in arduis,
Sic et mente virili
Carnis lubrica supprimant.
Sint nostrique greges, nempe Scholastici,
Casti, sintque pii, sint quoque sobrii,
Ut digni reputentur
Tam pulchro atque pio oppido.
Ergo cum numeris omnibus et locus,
Et res, et populus sint lepidissima,
Traiectum absque rubore
Summis laudibus effero

Repetitio.

Quisque lares patrios cantet propriosque Penates
Nos Traiectinos laudibus evehimus.

Finis.